Lane Medical Library

DE
DIABETE MELLITO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICO-MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVII. MENS. APRILIS A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES DE WIOROGÓRSKI

POLONUS.

OPPONENTIBUS:

M. LITTEN, MED. ET CHIR. DR. MED. PRACT.
H. SCHERBEL, MED. ET CHIR. DR.
C. DE CHONSKI, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

FRATRI OPTIMO DILECTISSIMO

NICOLAO DE WIOROGÓRSKI

REGI A CONSILIIS CALCULI SUPREMIS REGNI POLONIAE

EQUITI ORDINIS SANCTI STANISLAI IN CLASSE SECUNDA.

MULTA OB BENEFICIA HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

Diabetes mellitus, Diabetes verus, Diarrhoea urinosa, Dipsacus, Hydrops ad matulam, Phthisuria. Etsi morbus ab antiquissimis temporibus notus, nam Celsus, Aretaeus et alii mentionem ejus faciunt, tamen morbi causa proxima nobis incognita est, quod imperfectae explorationi effectuum morbi imputandum est, siquidem medici veteres ob defectum analysium urinae chemicarum perversam de morbo nostro opinionem amplectebantur. Seducti enim per symptomata aliis in systematibus corporis humani exorta hoc malum colliquationibus adnumeraverunt et symptomata tantummodo ad alium morbum referentes parum operae morbo cognoscendo impenderunt, ut mirandum non sit, veram morbi indolem et naturam eos tam diu fugisse. Variarum de hujus morbi indole opinionum causa, ea re nititur, quod morbus saepe confundebatur aliis cum malis, partim cum aucta urinae secretione in hypochondria et hysteria partim cum crisibus praecipue post febrem rheumaticam, ubi secretiones omnes valde auctae sunt, partim cum aucta secretione urinae, quae ut crisis

ascitae apparet. Chemiae recentiori certam debemus rationem morbum hunc semper cognoscendi, quum per analyses materiem in urina inveniamus mellitam, quae permagna humorum organicorum consumtione corpus emaciat, quam obrem reproductionis adauctae criteria, sitis et fames, apparent. Etiamsi hoc modo causam diabetae proximam nondum intellexerimus, eo tamen progressi sumus, ut veram diagnosin eruere possimus.

SYMPTOMATOLOGIA.

Decursus morbi est chronicus et raro accidit, ut morbus repente omnibus cum symptomatibus prodeat, exceptis casibus in quibus morbus e metastatica causa oritur. Malo hocce laborant tam viri quam mulieres, attamen observationes celeberrimorum medicorum viros saepius quam mulieres corripi docuerunt. Quod ad aetatem attinet, diabetes pueritiae et adolescentiae parcit, imprimis aetate provectiores malo illi succumbunt. Cur morbi hujus exordium tam saepe medicos aegrotosque fugiat, explicatur lenta atque successiva accessione ita ut diabetae prima symptomata haud magni momenti ipsis aegrotis esse videantur. Primum hujus morbi symptoma est sitis aucta, aegrotis semper bibendi necessitas inest, praesertim nocturno tempore let,

quod maxime mirum videtur, membranae mucosae simul humidae apparent. Haec necessitas bibendi nunnunquam tantum gradum assequitur, ut aegroti animi deliquium perpetiantur, si eorum sitis non expleatur. Symptomatis hujus explicationem posuerunt nonnulli in acri bili, alii in acrimonia sanguinis et praecipue in magna azotici copia, quod parcius secretum et in corpore retentum, irritamenti instar organismum humanum afficiat et sitim, tanquam symptoma, producat. Una cum hoc symptomate apparet oppressio dolorifica, quae in ventriculo sedem habet indeque ad oesophagum usque adscendit. Simul animadvertimus, aegrotos magnam copiam urinae mittere, praecipue nocte, eo quidem modo, ut, quo maiorem potus copiam bibant eo maiorem urinae copiam edant; in morbi decursu urinae copia potus hausti copiam longe superat.

Urina colorem offert clarum, pellucidum, odore peculiari caret, jusculo vitulino duntaxat comparanda est. Eius superficies saepenumero cuticula obducitur, lotium modo missum valde spumat. Ineunte morbo adhuc urea invenitur, etiamsi valde parca, quae postea omnino evanescit, ejusque in locum succedunt materiae vegetabiles. Urina diu asservata transit demum in fermentationem acidam et vinosam. Calefacta aegrotorum urina ineunte morbo magnam albuminis copiam ostendit, quod progrediente morbo disparet et locum ejus materia sacharina vegetabilis occupat quae ipsa crysallorum forma extrahi potest, imo largissima nonnunquam obtinetur. Tunc secretiones aliorum organorum turbantur, alvi nempe

excretiones retardantur, faeces specifico carent odore, combustam quasi praebent indolem atque in sectionibus intestinum crassum saepenumero multis faecibus repletum atque extensum inventum est. Cutis externa sicca nunquam madet, neque sudat et progrediente morbo cutis corii duritiem offerens in desquamationem abit. Hoc symptoma, quod raro deest, nonnulli explicare studuerunt ex aucta vasorum periphericorum actione systematis lymphatici, quae omnia absorbeant et in sanguinem effundant, quae postea per renes secernantur. Lingua indolem nonnunquam habet naturalem, saepe muco est obducta, nonnunquam nigricantem colorem exhibens, attamen semper humida. Dissectis cadaveribus membrana mucosa ventriculi et intestini nigricantis coloris inventa est, quod phaenomenon e stagnatione venosa in vasis capillaribus explicari multi conabantur. Saepe sunt gingivae inflammatae, postea facillime sanguis ex iis profluit, dentes vacillant et postea excidunt, tantummodo autem dentes incisivi, nunquam molares.

Progrediente morbo observare licet oedema pedum; praeputium inflammatur. Simul utrique sexui coeundi cupiditas aufertur, quod eo magis admirandum est, quum hoc symptoma nunquam absit, maximamque differentiam costituat diabeten inter et phthisin, quippe in qua coeundi cupiditas mirifice aucta sit. Causam evanescentis hujus functionis explorare difficile est. Num fortasse in statu morboso gangliorum nervi sympathici, qui irritamenta e cerebro non percipit, hoc malum quaerendum est?

Progrediente morbo macrescunt aegroti, sitique noctu vexantur aucta, urinaeque secretione somno privantur. Simul aegroti dolore laborant, qui descendit juxta columnae vertebrarum longitudinem, semper frigent, secretio urinae sine dolore, saepe status eorum paralysi similis est, quoniam involuntarii mingunt. Febris hectica in stadio tantum colliquativo apparet, quam ad periodum aegroti eheu raro perveniunt, quia antea diem supremum obeunt. Temperies animi semper alienata est, aegroti sunt morosi et tristes. Ante mortem membrana mucosa tracheae blennorrhoea afficitur, aegroti habent vocem raucam, saepe associatur phthisis pituitosa, secretio bronchiorum apparet aucta et alienata et si miseri diabete liberantur phthisi pituitosa trucidantur. Morbus ille pluries recidivus fit et quamvis analysis chymica nonnunquam sacharum in urina non detegat, tamen aegroti status semper idem manet facillimeque in pejus ruit. Sanguis diabeticorum non in putrescentiam, sed in fermentationem acidam abit, magnam seri copiam continet, haud multum fibrinae, phosphoro et ammoniaco caret, serum sanguinis saporem habet dulcem et nonnulli in eo materiam sacharinam se detexisse affirmant.

SECTIO CADAVERUM.

Post mortem animadvertimus nonnunquam magnas mutationes et desorganisationes, quas prius paene suspicari potuimus. Sed adhuc incognitum est, utrum mutationes illas pro causa an effectu morbi habere debeamus; proinde ill. Horn dicit, mulierem quandam diabeticam, quam victu solo animali partim sanaverit, postea correptam esse pneumonia eaque defunctam; sectionem obtulisse tradit cerebrum in cranio collapsum et paene digiti unius latitudine a cranio distans, eo modo, ut vacuum intercederet spatium; cerebrum pariter atque nervi mutationes exhibuerunt, substantia enim eorum valde erat indurata. In alio ab ill de Stosch observato casu sectio ostendit hydropem arachnoideae, substantia corticalis magna ex parte tabuisse videbatur. Formey opinionem suam, mali hujus caucam proximam in inflammatione medullae spinalis cerni, confirmare voluit sectione ab ill. Venables instituta, qui membranas medullam spinalem obducentes magna copia sanguinis repletas et medullam ipsam induratam invenit. Exploratione nervi sympathici demonstraverunt nonnulli, fibras ejus duplo aut triplo majores fuisse, id quod etiam de nervo splanchnico tradunt. In ventriculo et intestinis erat stagnatio sanguinis in vasis capillaribus, quare membrana mucosa colore nigro praedita apparebat. Hic color niger praecipue in ventriculo et intestinis tenuibus conspicuus erat. Intestinum crassum repletum erat magna copia excrementorum. Quod explorationem renum attinet, quos nonnulli habuerunt

pro organis maxime affectis nonnunquam tantummodo perspicuas mutationes obtulerunt, in nonnullis casibus exstitit emollitio substantiae corticalis, dilatatio vasorum renalium, eo modo, ut magnam mollitiem exhiberent, et injectis materiis statim rumperentur; nonnunquam adfuit dilatatio calycum, pelvis renalis et ureterum. Nexum intercedere renes inter et pulmones, ea, quae saepe observata sunt, testantur; aegroti enim sanati tamen postea phthisi pituitosa obierunt et sectio saepe tubercula pulmonum obtulit. Pott invenit in diabeticis osteomalaciam saepe alveoli erant diminuti, cujus phaenomeni causa in aucta resorptione vasorum lymphaticorum collocanda est. Frank et Dobson allegant exempla, in quibus sanguis odorem dulcem habuerit, imo materia sacharina abundaverit; cadavera diabeticorum tarde putrescunt et odore funereo carent.

PROGNOSIS.

Quum diabetes morbus chronicus sit, curatio ejus tarde procedit et rarissime tantum sanitas restituitur. Macies corporis humani in dies augetur et secretio urinae, organica repletae materia, exhaurit vires aegroti. Secundum observationes prognosis fere haec est: Diabetes e causa metastatica, e

suppressione exanthematum, e suppressa functione cutis, relative facilius sanatur. Ineunte morbo, etiamsi secretio urinae valde sit aucta, sed lotium modo albumine repletum, Prognosis melior est, quam iis in casibus, in quibus urina materiam sacharinam jam continet, si enim morbus eo usque processit, utplurimum insanabilis est, et caveamus necesse est, ne decipiamur, si hoc in stadio aegrotum ad sanitatem nos reducturos esse speramus. Prognosis mala est, si morbus e causis venereis originem duxit, postea hydropis accessus et dentes excidentes pejus reddunt augurium. Si morbus transit in stadium colliquativum, nulla salutis restituendae spes affulget.

DIAGNOSIS.

Cognitio vera alicujus morbi eo facilior est, quo clariora se praebent symptomata, quo magis ea tantum in unum morborum genus conveniunt et ab aliis morbis absunt, quo magis affectiones topicae animadvertuntur, quae nobis certam affectionem organismi ostendunt, et quo magis causae praegressae nobis innotuerunt. Eam viam ingredi debemus, ut comparatis symptomatibus veram morbi

imaginem depingamus, id quod tantummodo e comparatione symptomatum consequi licet. Morbus quem tractamus, saepe cum aliis commutatus est, quod ineunte malo vix mirum videbitur, quoniam multi morbi, haud diabetae analogi, eadem symptomata offerunt. Modo diligenti observatione causae efficientis, accurata exploratione morbi id impetramus, ut diagnosin ad evidentiam aliquam evehere possimus. Ne in errorem incidamus distinguenda est causa a producto morbi. Incrementa, quae cepit chemia, efficiunt, ut subtiliores differentias in structura tam corporum anorganicorum quam organicorum enucleare queamus. Medici veteres modo contemplatione externa morborum contenti, et carentes facultate morbi producta exquirendi, quia chemiae auxiliis destituebantur, saepe errabant in cognoscendo diabete, quem cum malis symptomaticis confuderunt. Difficultas diabeten cognoscendi ineunte morbo in eo est, quod symptomata morbi non repente se ostendunt, et quod aegrotus auctam urinae copiam parum observat. Attamen ingravescente morbo ex macie corporis humani et aliis symptomatibus diagnosis diabetae adeo patet ut permutatio aliis cum morbis haud facile accidat. Si confundi potest diabetes cum aliis morbis, hi fere erunt: Aucta urinae secretio, quae in plurimis malis spasmodicis observatur et crisis loco quasi fungitur, ut in hypochondria et hysteria, sed urina non est mutata in hypochondria, ejus partes non differunt ab iis urinae sanae, analysis chemica demonstrat uream et alia salia, hoc malum non diu persistit, secretio urinae non superat potus assumtos, in diabete con-

tra duplo aut triplo major est; in illo morbo deficit macies corporis, nec non symptomata alienatae secretionis aliorum organorum, quare diabete laborantes semper siti et fame vexantur. Non difficile est discernere morbum nostrum ab urina critica in nonnullis febribus, nam in his aliae etiam secretiones auctae sunt et urina malum diminuit. Apud diabeticos tantummodo secretio urinae aucta est, cutis externa semper sicca, desquamatur, exanthemata squamosa apparent et secretio alvi retardata est. In hydropis crisi secretio urinae valde augetur, sed hoc est, quod nostra curatio molitur videmus enim post secretionem largiorem urinae hydropem evanescere et paullatim aegrotum sanari. Urina diabetica discernitur a normali sequentibus notis: urina secernitur uberrima usque ad triginta libras per diem, saporem et odorem habet dulciusculum, calefacta spargit suavem odorem per aërem et restat extractum dulce, fusci coloris, quod aqua solvitur et postea uti saccharum in crystallos coit, post langum autem tempus in fermentationem acidam et vinosam transit. Urina est pallida, gravioris solito ponderis, caret urea, et format cum hydrargyro nitrico sedimentum album.

AETIOLOGIA.

Quod ad causam proximam attinet, opiniones differunt, et nullum est systema organismi, in quo morbi sedem variis temporibus medici non posuerint. Explicatio causae proximae morbi illius aliis temporibus alia erat, ita ut modo in vitio sanguinis, modo in perversa secretione, quae velut irritamentum in organismum agat, modo in aucta actione vasorum lymphaticorum, quae omnia absorbeant, modo in atonia et relaxatione renum hoc malum cerni putarent. Medici veteres, ut Aretaeus, Galenus, collocabant malum in atonia et relaxatione renum et pro morbo topico habuerunt; deficiente enim analysi chemica tam sanguinis quam urinae, ignorabant, in sanguine ejusque sero materiem saccharinam inveniri. Sydenhamus, variis symptomatibus commotus, malum hoc condensatione sanguinis niti censuit, per hujus acrimoniam effecta, quare aegrotos curavit methodo antiphlogistica et resolvente. Sunt etiam, ut Willis, qui malum hoc e resolutione sanguinis oriri existimarent et morbum cum scorbuto compararent. Mead causam proximam diabetae esse vitium hepatis et perversam secretionem bilis opinatur. Günz collocat in obstructione intestinorum causam diabetae. Darwin repentem corporis humani maciem respiciens et augescentem sitim, malum hoc systemati lymphatico imputavit, chylum non ductum thoracicum intrare, sed motu retrogrado ad renes reduci, existimans. Darwinus

nimirum arbitratus est vias clandestinas urinae adesse quoniam vasa lymphatica adesse, quae absorbendo chylum non in sanguinem sed ad renes ducant, persuasum habuit. Sed novam opinionem secuturus, vias clandestinas abesse credo, quia culter anatomicus nunquam eas reperit. Richter et Sömmerring autumabant, hoc malum spasmodicum esse, nempe spasmum topicum renum et argumenta hujus opinionis praebere dicunt typum periodicum morbi, remedia antispasmodica saepe cum successu adhibita, consociationem cum symptomatibus nervosis et originem crebram e causa metastatica, ubi materies metastatica velut irritamentum renes afficiat. Ad opinionem suam defendendam, malum hoc etiam in aliis morbis nervosis existere, perhibent. P. Frankius putat, causam proximam diabetae in vitio systematis lymphatici cerni, cujus vis absorbendi valde aucta sit.

Erant tamen, qui causam morbi in systemate nervoso ponerent, ad quam opinionem suscipiendam perducti erant ascurata exploratione cadaverum. Formey statuit, morbi hujus causam proximam in medulla spinali sitam esse, cujus opinionis veritatem sectiones testabantur, quibus membranae medullae spinalis multo sanguine repletae et medulla ipsa solito mollior inventa est. Non desunt exempla, quae demonstrant, malum hoc a morbo cerebri originem ducere etenim sectio aliqua cadaveris, ab ill. de Stosch instituta hydropem arachnoideae obtulit et alia, ab ill. Horn facta, tabem cerebri et haud parvam indurationem massae cerebralis exhibuit.

Secundum opinionem nuper prolatam morbus hic nervi sympathici paralysi nititur et exstincta resorptione venarum, quae paralyseos est sequela. Haec theoria quam ill. de Stosch affert, mali primordia investigare studet, exstincta scilicet resorptione venarum in systemate chylopoetico, vasa lymphatica omnia sine exceptione absorbere, sanguinique advehere, minime autem venas materias ab organismo alienas imbibere et eliminare afferens. Hac ratione crasis sanguinis mutatur, cujus rei exitus diabetes esse dicitur.

Quod causas remotas attinet, varii medici varias causas, partim praedisponentes, partim occasionales, observarunt. Primum quod vivendi rationem spectat, morbus saepe observabatur post victum insipidum alimenti inopem, praecipue post victum mere vegetabilem, potus acidulos praecipue acido carbonico abundantes, substantias ad fermentationem opportunas, ut abusum cerevisiae; saepe nimia copia vini canariensis causam morbi esse, suppeditare videtur, quare morbus est endemicus in Scotia.

Saepe morbus apparuit post refrigerationem, praecipue aëre humido frigido ortam. E suppressa cutis functione morbus saepe nascitur, velut crisis post febrem rheumaticam. Febris, obstructio viscerum, praecipue hepatis hypertrophia post febres male curatas, non raro causam morbi praebere videtur. Obesitatem in decrepiditate, temperamentum phlegmaticum multi causis interponunt. Saepe emergit diabetes e causa metastatica, post suppressionem

secretionis consuetae, tam normalis quam habitualis, ut exanthemathum, fluoris albi, crebro e caus: arthritica, scrophulosa. Enumeranda porro sunt anim pathemata, ut moeror, sollicitudo, praecipue si cum victu insipido conjungantur. Ad diabetae causas etiam referunt nonnulli auctam totius corporis irritationem, ut in morbo verminoso. Saepe diabetes alternat cum hydrope, praesertim si magna obesitas et relaxatio telae cellulosae adest. Res, quibus renum actio deprimitur, sufficiunt ad exitandam diabeten, ut diuretica, ubi auctam renum actionem relaxatio excipit et infirmitas, eo modo, ut secretio urinae tam qualitate quam quantitate alienetur. Excessus in Venere saepe morbum producit. Calculi, qui aut in renibus, aut in vesica haerent, in causis habentur, quoniam irritamenti instar auctum sanguinis circuitum efficiunt. Nonnulli credunt dentitionem infantum morbum provocare. Quoniam morbus noster ad colliquationes pertinet, hereditarius observabatur testibus Rollo, Frank, Blumenbach.

CURATIO.

In morbis curandis causae plurimum respiciendae sunt, quae morbum gignunt, nam saepe accidit, ut remotis causis morbus evanescat. Curatio morbi

duplici via institui potest, aut rationali, dum e summa symptomatum morbi causam efficientem auferimus, et si haec medendi ratio adhiberi non potest, empirica utimur curatione dum medicamenta adhibemus, quae experientiae testimoniis salutaria probantur. Multis in morbis maxime necessarium est, ut cum medicaminibus diaetam aptam jungamus, id quod nullo in morbo impensius requiritur, quam in diabete, eo modo, ut multos tantummodo mutata diaeta esse sanatos, plurimi arbitrentur.

Ad curandum diabeten varia medicamenta adhibita erant, et plerumque medici iis utebantur, quae contra causam proximam efficacia sese praestare putantur, quae autem non minus diversa sunt, quam theoriae quae variis temporibus de morbi natura viguerunt. Qui diabeten explicare conabantur ex aucta renum irritatione et malum pro spastico habuerunt, cum fructu sese adhibuisse dicunt antispasmodica; opium nonnulli pro medicamento saluberrimo habent. Rollo haec praebuit cum successu:

Rcp. Tinct. antim. tartaris.
Tinct. opii simplicis āā ℨij.
MDS. Guttae viginti quotidie ter sumantur.

Si irritatio renum exstat, remedium hoc salubre est, ea etiam de causa, quod transpirationem cutis auget, quae in hoc morbo plerumque suppressa est. In formula, quam Rollo praescripsit, salubre opium erat praecipue, si malum hoc e causa metastatica ortum duxit, e repentina suppressione functionis cutaneae post metastasin exanthematum. Eo-

dem cum eventu adhibitus est pulvis Doveri, quem Cornick praecipue commendat. Dr. Ware sanavit aegrotum magnis dosibus opii, adhibuit quotidie 4—10 grana, Tomasini etiam et Bailly adhibuerunt permagnas doses opii cum succesu. Secundum eorum relationes non modo status aegroti in melius vertebatur, sed etiam opii sequelae noxiae desiderabantur. praesertim alvi obstructio. Observatum quoque est, opium hoc in morbo, ut in colica saturnina, magnis dosibus adhibitum, nullo modo excretiones alvi supprimere. — Camphora saepe cum successu adhibita est in diabete; sic Dr. Shee diabeticum curari usu interno camphorae tradit. Camphorae effectibus praecipue in illis casibus confidendum est, si malum ab irritatione magna pendet, aut si ejus origini usus talium medicaminum antecessit, quae vi diuretica renes valde afficiunt eorumque secretionem augent. Saluberrima erat Camphora cum emulsione amygdalina exhibita.

Si persuasum habemus, morbum e causa metastatica ortum esse, ut retrograda arthritide, medicamina adhibenda sunt, quae priorem morbum revocant, post suppressionem exanthematum balnea tepida, antimonium cet. Dobson affirmat, unum balneis tepidis se sanasse. Qui causam morbi in acrimonia sanguinis quaerebant, cum successu adhibuerunt oleosa et resolventia, nonnulli laudant usum oleorum pinguium. Brisbaire cum eventu usus est emulsione amygdalina. Ubi morbus conjunctus erat cum acido primarum viarum, ubi aegroti semper acido sapore laborabant, absorbentia cum utilitate

adhibebantur, praecipue aqua calcis et Magnesia carbonica. Qui rati sunt, morbi causam in dissolutione sanguinis ponendam esse, adstringentibus haud sine successu utebantur. Selle enarrat casum, in quo alumen, tam forma pulveris, quam forma seri lactis aluminati feliciter morbum sustulit. Petrus Frank commendat, cuprum ammoniacale, gran. $^1/_2$—1 pro dosi. Tinctura cantharidum commendata est a Scott et Josepho Frank. Usus ejus modo iis casibus respondere potest, in quibus morbus a relaxatione renum pendet, per quam passivus affluxus sanguinis ad renes oritur. Sin vero malum oritur ex abusu diureticorum, cantharidem usus nocet. — Si porro morbus prodit post febres intermittentes, ubi hepatis hypertrophia et stagnationes sanguinis, locum habent, ubi diabetes periodice apparet et cum morbis antecedentibus nexum alit, china cum rheo, forma infusi vinosi, magnopere laudatur, praecipue a Dobson. Medici Sueciae, ut Ronander et Lachendorph, commendant Morphium aceticum, gran. $^1/_2$ — 1 pro dosi; cujus efficacia ea est, ut transpirationem augeat. Qui diabeten morbum nervosum existimant, nempe in paralysi nervi symphatici ponunt, praecipue nervina excitantia, ut ammonium, phosphorum, olea empyreumatica, laudant quorum de utilitate experientia certiores demum nos reddere potest. Liceat mihi, eorum sententiam obiter memorare, qui malum hoc in medulla spinali collocarunt eaque de causa praecipue nuperrime strychninum nitricum adhibuerunt. Petrus Frank commemorat, vesicantia ad regionem renum cum successu esse adhibita, nam duos diabeticos hoc modo sanarit. Novis tem-

poribus kreosoto cum fructu nonnulli usi sunt. — Rollo, qui causam morbi in perversa assimilatione posuit, aliam curationem commendat, qua magno cum successu utebatur. Primo enim, quod in morbo illo haud parvi momenti est, diaetam imperat aptissimam scilicet animalem; si morbus sit recens, tantummodo alimentis e regno animali uti jubet, ad sitim famemque levandam, adhibuit praecipue kali sulphuratum, eo modo, ut quotidie ʒj-ʒij consumerentur. Postea dedit Liq. fumantem Boylü, ter quotidie 2 — 4 guttulas. Secundum ejus observationem fames et sitis, nec non ingens copia urinae minuebantur, analysis chemica demonstravit minorem quantitatem sacchari, quod paullatim ex toto evanuit et aegroti convaluerunt. —

HISTORIA MORBI.

N. N. annum agens quadragesimum quintum, anno praeterito Clinicum adiit medicum, auxilium petiturus. Aegrotus satis procerus erat, temperamento praeditus phlegmatico, et ossibns valde excultis, in omnibus, quos exercuit, motubus segnities aliqua observabatur, quae nullo modo naturali virium inopia atque aetate aegroti nitebatur. Primum,

quod aeger querebatur, sitis erat, qua se per totum annum jam vexari narravit; continuum praeterea pressionis sensum accusavit, qui ab epigastrio ad oesophagum ascendat; epigastrii dolores tactu non augentur. Digestio est turbata, lingua pura et humida, sapor vapidus, quamvis ciborum appetitus valde adauctus, quem una cum siti ortum esse enarrat, alvus segnis, functio cutanea alienata, externa cutis superficies mutata, sicca enim et in desquamationem abiens furfuraceam. Secundum aegroti effacta nulla transpiratio locum habet, quod ea propter mirum est, quia prioribus temporibus aeger facillime sudavit, imo quocunque corporis labore sudor eliciebatur. Aegrotus de lassitudine conquerebatur totius corporis, labores etiam levissimos sequente. Ut cutanea functio suppressa, sitisque adaucta ita urinae etiam copia plurimum aucta reperitur. Urinam sine dolore reddit, eaque potus quoditie sumpti copiae respondet. Animi pathemata deprimentia, quum semper de malo suo meditaretur, functiones sexuales exstinxisse aegrotus tradit. Arteriarum pulsus a normali statu non aberrat motuumque febrilium nulla apparent vestigia. Dum malo hoc laborat, valde macrescit. — Aeger prius semper bene valuit, atque nullorum morborum meminit, excepto uno morbo febrili; qui anno quadragesimo tertio eum corripuit, sudores continuos et capitis dolorem excitavit et sine medicorum auxilio cessit. Hunc morbum secuta esse credit aegrotus diabetae symptomata, quae paullatim se ostenderunt atque creverunt, quorum praecipue memoratu digna videntur adaucta sitis atque cutis sicca.

Aetiologia. Quod causam attinet diabetae, ille mihi morbus culpandus esse videtur, quo ante annum laboravit, praecipue quum hunc sitis adaucta cutisque sicca illum exceperint; aliae causae indagari non potuerunt, aegrotus enim neque in Venere, neque in Bacho se excessum fecisse affirmat.

Prognosis. Quum malum nondum inveteratum, quum causa occasionalis sit nota, quanquam remotu difficilior, atque ultimi hujus morbi stadii symptomata desiderentur, ut dentes excidentes et hydrops, prognosis solito faustior haberi posset, si aegrotus aetate minus esset provectus.

Curatio. Quum diaeta maximi in hoc morbo sit momenti, alimenta aegroto offerebantur carnea, pro medicamentis sumsit acida, praesertim Mixturam sulphurico acidam, longiori hujus remedü usu urinae copia quidem minuebatur, sitis tamen et fames a priori statu non recedebant; adcutis siccitatem tollendam, aëre uti calido jussus est, ut torpor minueretur cutis, vestimenta lanea sunt commendata; sed neque haec, neque balnea tepida cutem ad priorem statum reduxerunt. — Tunc ad Coffeini, quod gase azotico abundat, usum confugiebatur, quo autem effectu adhibitum sit nescio, quum clinicum aegrotus non amplius adiret.

VITA.

Ego *Joannes de Wiorogórski,* fidei catholicae addictus, natus sum Ostroviae, pago Galliciae, anno MDCCCXII., patre *Stanislao,* matre *Ludovica,* quos parentes carissimos jam dudum morte mihi ereptos valde lugeo. Puer septem annorum ad Gymnasium, quod Stanislaviae floret, me contuli, ubi per quatuor annos litteris, quae ibi traduntur, operam navavi. Deinde Gymnasium Varsaviense per septem annos frequentavi, quo tempore elapso testimonio

maturitatis munitus, Rectore Magnifico t. t. Szweykowski numero civium academicorum Varsaviensium adscriptus sum. Elapsis mensibus duobus almam Universitatem Berolinensem Fridericam Guilelmam petii, ubi Rectore Magnificio t. t. *Marheinecke*, Decano Beat. *Rudolphi* in album medicorum inscriptus sum, per quinque semestria scholas philosophorum nec non medicorum frequeutavi; Ill. *Mitscherlich*, Chemiam et Zoochemiam me docuit; Ill. *Weiss* Mineralogiam; Ill. *Schlemm* Osteologiam; Ill. *Schultz* Botanicen; Ill. *Schlemm* syndesmologiam corporis humani; Ill. *Mueller* anatomiam corporis humani et artem cadavera rite se candi; Ill. *Mueller* Physiologiam, nec non generationis doctrinam; Cel. *Wiegmann* Zoologiam; Ill. *Rust* chirurgiam theoreticam; Ill. *Hecker* pathologiam et therapiam specialem; Ill. *Horn* morborum syphiliticorum et morborum mentis medelam. Anno MDCCCXXXV. Halas me contuli, ibique scholis practicis medicorum interfui: Clinicis medicis Ill. *Krukenberg* per tria

semestria, clinicis chirurgicis ophthalmiatricis Ill. *Blasius* per duo semestria; Ill. *Niemeier* clinicis obstetriciis. Ill. *Blasius* akiurgiam ibi me docuit.

Jam Berolinum redux clinicis adfui Ill. *Rust* et Ill. *Busch.*

Quibus omnibus praeceptoribus Illustrissimis, Celeberrimis optime de me meritis, maximas, quas habeo, gratias ago. Nunquam tempus eorum memoriam delere valebit.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis, nihil impedimento fore spero, quominus gratiosa medicorum facultas, dissertatione et thesibus defensis, summos in utraque medicina honores in me conferat.

THESES DEFENDENDÆ.

1) Asthma Millari non existit.

2) Hydrops ovarii ad desorganisationes pertinet.

3) Sunt certa graviditatis signa.

4) In curanda hydrocele operatio radicalis omnibus aliis praeferenda est.

5) Arteriarum torsio rejicienda est. —